Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1017
Quelle:
Copyright:

ro in *Waddingi Bibl. Ord.* nihil in vita *Johannis* XXII. apud *Ciaconium*, eiusque *Additores*, nihil praeter nudum nomen et annum 1333. apud *Ughellium* in *Italia ſacra*, Catalogoque Epp. *Sarnenſium Salernitani* Suffraganeorum. Solus *Baluzius* in *Not. ad Vitas Papar. Avenion. col.* 735. et ex eo *Oudinus T. III. col.* 880. Viri meminere, Tractatum ab eo *de Poteſtate Eccleſiae* ſcriptum circa an. 1327. e *Cod.* 506. *Biblioth. Colbert.* indicantes. Huic igitur Florilegium noſtrum adde. Praefert illud Elenchum Perſonarum, ad quas datae ſunt Epiſtolae et harum principia ad ſequentem modum:

1. *Roberto nepoti ſuo ab ordine ciſtercienſium ad cluniacenſes absque licentia tranſeunti.* Satis et plusquam ſatis.
2. *Fulconi adoleſcenti.* Bone indolis adoleſcenti.
3. *Quibusdam monachis* (Canonicis). Exortatio illa. &c.

Usque ad Epiſtolam 124. decurrit aequaliter cum Edit. *Maur. Opp. Bern.* T. I. *Pariſ. 1690. col.* 127. f. Elenchus iſte; deinceps vero declinat, habetque Epiſtolis 108. minus, quam Edita; interim gratum certe fuiſſet Editoribus, ſi aliquam ejus habuiſſent notitiam, cum propter ordinem, tum etiam propter inſcriptiones Epiſtolarum et vel ipſum Textum. Elenchum excipiunt Monita *tria* de uſu ipſius Florilegii hoc initio: *Ad euidentiam tabule infraſcripte ſuper epiſtolas beati Bernardi notandum primo, quod harum epiſtolarum quedam ſunt breues ut medij folij, uel unius integri ſeu minoris ſpatij, et iſte non diuiduntur. quedam uero ſunt prolixe, et iſte ſecundum prolixitatem maiorem uel minorem diuiduntur in plures et pauciores partes, que partes ordinate ſignificantur per literas alfabeti poſitas ordinate, ut prima pars* p. a. *2ª pars* p. b. *et ſic de aliis. Vnde numerus quotat epiſtolam, litera uero partem* &c. Tandem a verbo *Abbas* incipit ipſum Opus ita: *Abbatis ſententie debet ſtari ſecundum regulam monachorum.* 314. &c. Sequitur *Abiſſus. Abſtinentia. Abutentes. Abuti. Acchademicorum. Actus* &c. Ultimum eſt: *Zelus loquendi pro innocente contra prauos calumpniantes.* 233. s. *Monachus inſurgens.* a. Promtum hujus Florilegii uſum non niſi eos habere, qui Codicem nacti fuerint, in quo Epiſtolae ordine noſtro decurrant, vel me tacente quivis videt.

CCCCXXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 232 partim XIII. partim XII. f. min. luculente magnam partem ſcriptus et rubricis diſtinctus, olim *J. Alex. Braſſicani*, dein *Joh. Fabri* Ep. *Vien.* ut anterior praefert Theca, complectitur: I. *Hildeberti* Ep. primum *Cenoman.* dein *Turonenſis* Archiepiſcopi circa an. 1134. de functi *Epiſtolas* LXXVIIII. e C-